

ECLOGA VIII

o digno coniuncta uiro, dum despicias omnis,
 dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae
 hirsutumque supercilium promissaque barba,
 nec curare deum credis mortalia quemquam. 35

incipere Maenaliis mecum, mea tibia, uersus.
 saepibus in nostris paruam te roscida mala
 (dux ego uester eram) uidi cum matre legentem.
 alter ab undecimo tum me iam acceperat annus,
 iam fragilis poteram a terra contingere ramos: 40
 ut uidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

incipere Maenaliis mecum, mea tibia, uersus.
 nunc scio quid sit Amor: duris in cotibus illum
 aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
 nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt. 45

incipere Maenaliis mecum, mea tibia, uersus.
 saeuus Amor docuit natorum sanguine matrem
 commaculare manus; crudelis tu quoque, mater.
 crudelis mater magis, an puer improbus ille?
 improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater. 50

incipere Maenaliis mecum, mea tibia, uersus.
 nunc et ouis ultro fugiat lupo, aurea durae
 mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
 pinguia corticibus sudent electra myricae,
 certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus, 55
 Orpheus in siluis, inter delphinas Arion.

incipere Maenaliis mecum, mea tibia, uersus.
 omnia uel medium fiat mare. uiuite siluae:
 praeceps aërii specula de montis in undas
 deferar; extremum hoc munus morientis habeto. 60

desine Maenaliis, iam desine, tibia, uersus.

Haec Damon; uos, quae responderit Alphesiboeus,
 dicite, Pierides: non omnia possumus omnes.